

sit, renovato consensu in eo remanere) possis et valeas cum N. In nomine Patris et F. et S. S. Eadem auctoritate Apostolica prolem, quam ex matrimonio susceperis, legitimam declaro, et pronuntio in nomine Patris etc. Alii in forma simul expriment causam impedimenti v. g. super impedimento primi gradus affinitatis proveniente ex copula illicita habita cum sorore mulieris, cum qua contrahere intendis; ita ut illo non obstante etc. His peractis lacera litteras dispensationis.

1397. II. Quomodo postea revalidandum sit matrimonium, jam dictum est n. 1191., scil. si impedimentum sit occultum, et matrimonium jam contractum sit coram Parocho et testibus, non est necesse, ut revalidetur coram iisdem: secus, si impedimentum sit publicum et notorium. Maxima autem cautela adhibenda est in modo praestandi novum consensum, si praesertim periculum sit, ne forte propter jurgia potius vellent separari, unde majora mala evenirent, ut ibid. diximus.

CASUS III.

Xistus in secundo gradu affinis cum Xantippa contrahit cum eadem sponsalia de futuro sub expressa conditione: si Papa dispensaverit. Sponsus petit dispensationem, sponsa vult solvere mediam partem sumptuum: obtenta dispensatione Xantippa renuit nuptias celebrare praecise propter impedimentum.

1398. Q. An Xantippa compellenda sit ad servandam fidem sponsalium? R. P. Gobat. t. 10. n. 164. negative; postquam affirmativam ut probabilem admiserat, subdit, non esse quemquam facile metu ullius poenae compellendum ad ducendam quocumque impedimento irretitam, tum propter decisionem Rotae Rom., quam refert Diana p. 6. in fin., tum propter quinque alias decisiones ejusdem Rotae, loquentes generatim de invaliditate sponsalium contractorum sub conditione dispensationis. Pariter tenent Abbas, Victoria, Sotus, Navar., Vera Cruz, Henriq., ejusmodi sponsalia esse simpliciter invalida, et etiam post obtentam dispensationem, nullam inducere obligationem, sic ut utervis contrahens possit resilire, nisi post impetratam dispensationem accedat novus consensus. Ratio horum est, quia illi impediti ante dispensationem sunt inhabiles ad contrahendum matrimonium: ergo etiam ad valide promittendum illud. Item quia hoc ipso actus censetur turpis, quod fiat contra legem; lex enim prohibet, ne impediti contrahant. Contrarium tenent Sanch. L. 5. d. 8. n. 10., Bonac., Coninck, Kugler p. 1. q. 43. n. 725., quod scil. ejusmodi sponsalia valeant, ita ut obtenta dispensatione non opus sit novo consensu, tum post sponsalia de futuro, tum de praesenti (circa postremum contrarius est Laym. L. 5. t. 10. q. 2. c. 7. n. 5.). Horum ratio est, quod cum talis promissio sit de objecto honesto, et adjectio conditionis non sit turpis, etiam non videatur ratio, cur non oriatur obligatio, et cur non fiat promissio absoluta post impetratam absolutionem. Certum tamen est (juxta Gobat), tunc ejusmodi promissionem esse irritam, si promittentes non habeant justam causam impetrandae dispensationis, quia cum sine gravi causa non detur dispensatio, illa conditio adjecta haberetur pro impossibili.

TRACTATUS III.

DE CENSURIS ECCLESIASTICIS, ET IRREGULARITATE.

ARTICULUS I. De censuris in genere et in specie.

§. I. Praenotanda de censuris in genere.

1399. Praenotandum I. Censura vi nominis significat iudicium de aliqua actione, an sit digna laude, vel vituperio. Sic olim Romanis significabat sententiam Censoris mores corrigentis, aut poenam decernentis. A Scriptoribus ecclesiasticis translata est haec vox ad poenam spiritualem, quam Ecclesiae Praelati infligunt contumacibus. Ideoque definitur, poena spiritualis et medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci quorundam spiritualium bonorum usus aufertur ab Ecclesia, donec a contumacia recedat. Ita Bened. XIV. L. 7. de Synod. Dioeces. c. 45. n. 1. cum Suarez. Dicitur primo, Poena spiritualis sive ecclesiastica, scil. talis punitio criminis, quam soli Praelati Ecclesiastici possunt infligere; solius enim potestatis ecclesiasticae est, privare subditos bonis spiritualibus. Secundo, medicinalis, h. e. inflicta ut reus emendetur; nam juxta c. cum medicinalis, 1. de sentent. excomm. in 6. gravissima etiam censura, scil. excommunicatio, medicinalis est, non mortalis, disciplinans, non eradicans: quia Ecclesia primario per censurae castigationem intendit resipiscentiam contumacis. Si differt censura a puris poenis, v. g. a depositione, degradatione, irregularitate ex delicto, quae praecise infliguntur in punitorem delinquentis, et remanent post emendationem peccatoris; irregularitas autem ex defectu non est poena, sed impedimentum canonicum, unde utraque irregularitas non tollitur per absolutionem, sicut censura, sed per dispensationem. Hinc quando in jubilaes, vel privilegiis datur facultas absolvendi a censuris, non comprehenditur irregularitas, nisi expresse addatur. Item differt a cessatione a divinis, quae non imponitur ad tollendam contumaciam, sed ad propulsandam injuriam Ecclesiae factam. Tertio dicitur, qua homini baptizato, delinquenti, ac contumaci etc., quibus verbis indicantur conditiones illius, in quem ferri potest censura, scil. ut sit baptizatus; cum enim censura sit actus jurisdictionis ecclesiasticae, ea non nisi ad subditos sive baptizatos extendi potest. Item delinquens; censura enim est poena: ergo supponit culpam. Denique contumax; est enim poena medicinalis: ergo morbum, scil. peccatum, adhuc sanandum supponit. Quarto dicitur, quorundam spiritualium bonorum, scil. eorum dumtaxat, quorum administratio, et applicatio est penes Ecclesiam, cujusmodi sunt Ecclesiae suffragia, indulgentiae, jurisdictio ecclesiastica, usus sacramentorum; non vero bona supernaturalia interna, v. g. dona gratiae, virtutes infusae Fidei, Spei, Charitatis, quibus hominem Ecclesia privare nequit. Quinto dicitur, usus aufertur: censura enim tantum suspendit, et prohibet usum seu exercitium, non vero tollit ipsam potestatem; sic non tollit titulum beneficii, potestatem percipiendi sacramenta etc.; sic iterum differt a depositione, et degradatione, quae in perpetuum privant exercitio sacrarum functionum. Spiritualium bonorum additur, non vero temporalium, nisi secundario et indirecte, quatenus bonum temporale, v. g. societas et convictus cum fidelibus refertur ad spirituale.

1400. *Praenot.* II. Censura solemnissime dividitur in tres species, primo scil. in *excommunicationem*, *suspensionem*, et *interdictum*. Ita *Innoc. III.* in c. *quaerenti*, de signif. verb. Idem patet ex c. 1. et 13. de sent. excomm. in 6. De singulis infra. *Secundo*, alia est censura *a jure*, alia *ab homine* lata. *Censura a jure* dicitur, quae fertur per canones, et statuta ecclesiastica. Haec regulariter generalis est, et omnes subditos delinquentes comprehendit; item perpetua, et durat quamdiu lex illam imponens non est abrogata. *Censura ab homine* dicitur, quae fertur a legitimo superiore per modum mandati, vel sententiae judiciariae, estque vel *generalis*, quae indeterminate aut generaliter in aliquos fertur, v. g. in Clericos: vel *particularis*, quae fertur an personam determinatam, vel saltem ex causa particulari ac determinata. *Tertio*, censura alia est *latae*, alia *ferendae sententiae*. *Latae sententiae* est, quam jus vel superior statuit ipso facto, quo quis legem violat, et sine alia iudicis sententia incurrendam. Signa hujus censuræ sunt v. g. hae particulae: *ipso facto*, *ipso jure*, *eo ipso*, et similes: vel verbum praesentis aut praeteriti temporis, v. g. *sit excommunicatus*, *excommunicatur*, *vel excommunicavimus*, *noverit se excommunicatum*, *se excommunicari*. *Censura ferendae sententiae*, quae etiam dicitur *comminatoria*, ea est, quam reus non incurrit ipso facto, quando crimen committit, sed per iudicis sententiam infligi debet. Signa hujus sunt 1. particulae comminatoriae, v. g. *praecipimus sub poena excommunicationis*, *sub interminatione anathematis etc.*; 2. verbum futuri temporis, v. g. *qui hoc fecerit*, *excommunicabitur etc.* Vide P. I. n. 410., ubi etiam dictum, quod in dubio, an censura sit latae vel ferendae sententiae, quia odiosa est, in mitiorem partem sit accipienda. Denique praeter alias divisiones accidentales censura alia est reservata, alia non reservata.

1401. *Praenot.* III. Quod Ecclesia habeat potestatem ferendi censuras non tantum pro foro externo, sed etiam interno, perpetuum et constans est dogma Catholicorum, primo ex verbis Christi Matth. 18.: *Si peccaverit in te frater tuus etc. Et si non audierit*, dic Ecclesiae: *si Ecclesiam non audierit*, *si tibi sicut ethnicus etc. Amen dico vobis*, *quaecumque alligaveritis etc.* Quae verba et de foro interno et externo intelligenda sunt: hinc *Leo X.* damnavit articulum 18. Lutheri: *Excommunicationes sunt tantum externae poenae, nec privant hominem communibus spiritualibus Ecclesiae orationibus.* Praeterea *Benedictus XIV.* l. 7. de Synodo Dioec. c. 44. n. 6. aperte et erudite demonstrat, falli *Van-Espenium*, dum P. 3. Jur. Eccles. univ. tit. 11. c. 6. n. 19. affirmat, excommunicationes latae sententiae recens adinventas, et per decem omnino saecula ignotas Ecclesiae fuisse. *Ordinariam* potestatem ferendi censuras habet 1. Papa in universo orbe respectu fidelium. 2. Concilia generalia, et provincialia; c. *grave nimis*. de praebend. . . 3. Eminentissimi Cardinales in Ecclesiis suorum titularum; c. unic. de Major. in 6. . . 4. Legatus a latere summi Pontificis; c. *Legatus*. de offic. Leg. in 6. . . 5. Archiepiscopi, Patriarchae, Episcopi, ac alii Praelati territorium cum jurisdictione quasi Episcopali habentes respectu suorum subditorum; c. *Ad reprimendam*. c. *Cum Episcopus*. de Offic. Ordin. in 6. . . 6. Vicarius Archiepiscopi vel Episcopi; c. *licet*. de Offic. Vicar. . . 7. Capitulum sede Episcopi vacante, sive Vicarius capitularis; c. un. de Majorit. in 6. Denique Superiores Ordinum Religiosorum; c. *Cum in Ecclesiis*, de Praebend. . . Parochi non possunt ferre censuras in suos parochianos, quia non habent jurisdictionem in foro exteriori, ut probat *Clericatus Erotem*. Eccles. c. 147. ex glossa in c. *nemo*. 2. q. 1. *Delegatam* potes-

tatem ferendi censuras habent, quibus illa committitur ab habente ordinariam. Delegari autem tantum potest homini Christiano baptizato, et Clerico. Hinc excluduntur Laici, imo nec Abbatisae haec facultas convenit; c. *delicta*. de Major. ubi quidem dicitur, ad Abbatissam pertinere; recte tamen cum *Suarez* id interpretantur plures, dictum esse lato sensu, non quod sit suspensio ecclesiastica, sed obedientia debita pendens.

1402. *Praenot.* IV. Censurae ferri possunt in omnes et solos homines baptizatos. Et quidem 1. *In solos homines*: unde excommunicatio in nociva animalia, v. g. locustas, est tantum adjuratio, vel oratio facta ad illorum interitum. 2. *Viatores*; mortui enim non amplius subsunt Ecclesiae, nec contumaces esse possunt, aut emendari; ideoque dum legimus, mortuos excommunicari, intelligendum est vel de quadam execratione, vel declaratione excommunicationis, quam ante mortem incurrerant, et in qua sunt mortui, vel de indirecta excommunicatione, qua Ecclesia prohibet, ne pro ipsis preces fundantur. 3. *Rationis, ac doli capaces*: infantes enim et perpetuo amentes incapaces sunt peccati; ergo et praeccepti ac censuræ. Consentunt DD. quod impuberes doli capaces incidere possint in censuram a jure latam, ex c. 1. et fin. de sent. excomm. An idem sentiendum sit circa censuram ab homine latam, controvertitur ab AA. Additur, *in subditos*; cum enim ferre censuras sit actus jurisdictionis, illa potestas non nisi in subditos exercetur. Imo si quis extra suam dioecesim furatur, non est excommunicatus, licet in sua dioecesi furtum sub excommunicatione sit prohibitum: *Cum extra territorium jus dicenti non pareatur* impune; c. 2. de Constit. in 6. Praeterea communis Theologorum est, extraneos, advenas, et peregrinos ligari posse censuris a jure, seu statuto communi latis. Unde peregrinus, qui homicidium patraret in ea dioecesi, ubi sub poena excommunicationis prohibitum est, excommunicatione lata ligaretur, quia juxta c. *licet*, de foro compet. ratione delicti quis forum sortitur, et fit quodammodo subditus. *Tournely* in praelect. Theol. t. 2. de cens. q. 1. a. 4.

1403. *Praenot.* V. Censurae regulariter non infliguntur nisi ob peccatum externum junctum cum contumacia, illudque mortale ac consummatum, sive in genere suo completum (nisi aliud in jure exprimatur). Dicitur 1. *Ob peccatum externum*: quia peccatum mere internum Ecclesia non punit per censuras, ut colligitur ex c. *Tua nos*, et c. *Sicut tuis*, de simonia. Dicitur 2. *Illudque mortale*: nam rationis, et aequitatis principia suadent (ait *Benedict. XIV.* l. c. n. 2.), *poenam esse commensurandam culpae, et pro culpae modo imponendam: consequens inde est, non nisi propter graviolem culpam excommunicationem ferendam*; et n. 3. addit: *Quae porro de excommunicatione dicta sunt, intelligi etiam debent de suspensione et interdicto.*

1404. *Praenot.* VI. Ab incurrendis censuris causae sequentes excusant: primo *invincibilis ignorantia tum juris* (qua ignoratur prohibitio Ecclesiae, v. g. si quis ignoret prohibitam esse percussionem Clerici sub excommunicatione) *tum facti*, qua non quidem ignoratur praecceptum, sed ignoratur, an hoc factum sit prohibitum, vel an contineatur inter facta prohibita, v. g. si scias sub excommunicatione prohibitam esse percussionem Clerici, tamen percutiendo Clericum putes esse Laicum. *Prob.* ex c. 2. de Constit. in 6., ubi *Bonif. VIII.* ita statuit: *Ut animarum periculis obvietur, sententis per statuta quorumcumque Ordinariorum prolati ligari nolumus ignorantes, dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. Confirm.* ex eo, quod ubi adest invincibilis ignorantia, non adsit contumacia contra Ecclesiam: ergo nec locum habet censura. Secus

est de ignorantia vincibili, ut patet ex *c. si culpa*, de injuriis; ubi *Greg. IX.* ait: *Nec ignorantia excusat, si scire debuisti... et, quam debueras, non curasti diligentiam adhibere.* Ex his *Laym. l. 1. t. 5. p. 1. c. 5. n. 7.* contra *Covarruv. Graffis, et Ugolinum*, excusat ab excommunicatione ignorantem ignorantia concomitante, v. g. si quis percutiat Clericum putans esse Laicum, quamvis ita sit comparatus animo, ut tametsi sciret esse Clericum, tamen percuteret; quia ecclesiastica censura non fertur propter internam pravam animi dispositionem, sed propter externam transgressionem mandati ecclesiastici: ergo cum talis ignoret, hanc percussorem esse prohibitam sub censura, actualiter non est contumax. Idem *Laym. l. c. n. 8.* cum *Sylv., Navar., Suar., Sanch.* contra *Covarruv. et Cordubam* affirmat, quod tametsi aliquis sciat, opus prohibitum esse ecclesiastica lege, si tamen ignoret annexam illi censuram, eam haud incurrat: quia in *cit. c. 2. de Constit. in 6.* generaliter definitur, *sententiis per statuta Ordinariorum prolatis non ligari ignorantes, scil. ut animarum periculis obvictur.*

1405. *Secundo* excusat *impotentia* tum physica, tum moralis faciendi id, quod sub poena censurae faciendum praecipitur. Hinc qui ex metu gravi mortis, infamiae etc. transgreditur legem, is non incurrit censuram annexam, quamvis tunc a peccato non excusetur, si violet legem quae etiam naturaliter obligat. *Laym. l. c. n. 9.*

1406. *Tertio* excusat *appellatio* legitime interposita ad superiorem a comminatione censurae indictae per inferiorem, antequam tamen ea incurratur; *c. Si a iudice, 10. de Appell. in 6.*

1407. *Quarto* excusat *voluntas* ejus, in cujus favorem lata est censura; hinc si creditor faciat suspendi a divinis Clericum debitorem, nisi intra sex menses solvat debitum, si creditor prorogaverit praefixum terminum, Clericus non erit suspensus. Ita *Clericatus l. c. n. 23.* cum *Mastrio. Tournely* in *Praelect. Theol. de cens. a. 7.* addit adhuc alias causas excusantes; dicens quod I. non obliget censura invalida, scil. quae vel fertur ab eo, qui non est legitimus superior, vel in qua non servantur formalitates essentialis, v. g. si monitio non praecesserit excommunicationem. Dixi, *formalitates essentialis*: si enim accidentales tantum praetermittantur, v. g. una ex trinis monitionibus, vel feratur sine scripto, aut in ea non exprimat causa, ut exigit *c. Cum medicinalis, de sentent. excomm. in 6.*, tunc censura quidem injusta, h. e. contra juris ordinem, non tamen invalida est, et proinde reus ab illa excusari non potest. II. ait: censura non obligat, si persona, contra quam fulminatur censura, sit omnino innocens, ac culpa expers, quia juxta *c. 1. de sent. et re judicata in 6. Tribunal aeterni judicis illum reum non habet, quem injuste iudex condemnat.* Nihilominus ejusmodi innocens, tametsi coram Deo nullatenus censura ligatus sit, tenetur coram illis, qui censuram norunt ignari innocentiae, abstinere ab usu bonorum spiritualium, donec vel absolvatur, vel innocentiam probet; quia alias peccaret peccato scandali, et censeretur adhuc contumax, quamvis non incurreret poenas alioquin decretas adversus eos, qui violant censuram.

1408. *Praenot. VII.* Censurae solvuntur per solam legitimam iudicis sententiam: ideoque *primo* censura non tollitur per solam cessationem contumaciae, aut satisfactionem, ut constat ex *c. Cum desideres, de sentent. excomm.* Item ex *propos. 44. ab Alexand. VII. damnata.* *Secundo* non tollitur per mortem ferentis, quia poena per legitimam iudicis sententiam inflicta transit in rem judicatam; ergo non finitur morte, aut depositione imponentis; multo minus, quae a jure posita est poena, ab

ejus auctore pendet. *Tertio* non tollitur per mortem illius, in quem lata est censura v. g. excommunicationis, quia etiam mortuus Ecclesiae suffragiis ac sepultura privari potest. In particulari

1409. A censura *ab homine lata* per sententiam particularem potest absolvi 1. is, qui eam tulit: nam sicut penes illum fuit ligare, ita et penes eundem est solvere, dummodo perseveret in illo iudicio; 2. ejus superior, modo plenam obtineat jurisdictionem in eos, qui censura ligati sunt. Sic Archiepiscopus absolvi potest, postquam per appellationem ad illum causa devoluta est (*c. Venerabilibus, de sent. excomm. in 6.*), aut dum jure concedente Suffraganei dioecesim visitat; 3. successor superioris, qui censuram tulit, juxta *c. un. de Major. et obed. in 6.*

1410. A censura juris vel sententiae generalis, quam superior sibi reservavit, nemo potest absolvi praeter ipsum, ejusve superiorem, successorem et delegatum; *c. Nuper. c. Sacro. de sent. excomm. c. Ad recipiendum. de offic. jud. Ordin.* In articulo mortis quilibet Sacerdos potestatem habet absolvendi a censuris etiam reservatis; ita tamen, ut periculo amoto absolutus teneatur sub poena reincidentiae in censuram adire superiorem ad excipiendum ipsius mandatum; *c. Eos qui. de sent. excomm. in 6.*

1411. Denique a censuris, quae a jure vel ab homine per sententiam generalem latae sunt, quilibet potest absolvi, qui habet expeditam facultatem absolvendi a mortalibus, ut supra n. 695. dictum est. *Ibid. n. seq. 696.* ostenditur modus, quomodo danda sit absolutio a censuris. *Si dicas*, absolutionem a censuris pertinere ad forum externum; ergo illa impendi non potest a confessariis in foro interno conscientiae. Respondet *Tournely l. c. a. 8.*, confessarios a censuris dictis non absolvi ex proprio officio, sed ex indulgentia et concessione Ecclesiae ex gravibus causis, scil. vel ad evitandam irreverentiam, si forte poenitens aliqua occulta censura ligatus sit, vel ad evitandam irregularitatem, si cum simili censura quis ad sacram ordinationem accederet. His de censura in genere praenotatis sit

§. II. De excommunicatione.

1412. *Principium I.* Excommunicatio est censura ecclesiastica, per quam homo Christianus ab Ecclesiae communione separatur, seu bonis, quae inter fideles communia sunt, vel ex toto vel ex parte privatur. Juxta *Toletum* tria sunt bona fidelium, quae pendent ab ecclesiastica potestate, scil. exterior conversatio, sacramentorum administratio, et participatio; item orationes, et suffragia Ecclesiae. Excommunicatio est duplex; major, et minor. *Major* privat omnibus praedictis bonis communibus Ecclesiae, haec etiam dicitur *anathema*, ac dum quis absolute sive indefinite dicitur excommunicatus, communiter intelligitur fulminatus excommunicatione majore (juxta *c. si quem. 59. de sentent. excomm.*); estque haec poena gravissima, utpote *per quam fidelis non hoc, aut illo spirituali bono privatur, sed tanquam putridum membrum ab Ecclesia abscinditur, atque a fidelium communione, et consortio separatur*, ut ait *Bened. XIV. l. 7. de Syn. Dioeces. c. 44. n. 1.* *Minor* vero privat tantum aliquibus bonis spiritualibus, ut mox dicetur.

1413. Porro excommunicatus excommunicatione majore alius dicitur *vitandus* sive *non toleratus*, quem fideles tenentur vitare: alius *toleratus*, quem non tenentur vitare. Olim omnis excommunicatus erat vitandus, hodie vero ex *Constit. Martini V.* quae incipit: *Ad evitanda scandala*, solum vitandus est 1. Notorius percussor Clerici, h. e. talis, cujus factum non possit ulla tergiversatione celari, nec ullo suffragio excusari, licet

non sit denuntiatus. 2. Quivis *nominatim* excommunicatus, et speciatim ac publice denuntiatus.

1414. *Principium* II. Effectus excommunicationis majoris sunt sequentes: 1. *privatio sacramentorum*, quatenus privat usu activo et passivo sacramentorum; ita ut quilibet excommunicatus non possit licite et sine peccato gravi sacramenta vel suscipere, vel administrare, nisi excuset vel ignorantia invincibilis, vel gravis necessitas ob evitandum periculum mortis, gravis infamiae, jacturae bonorum etc., quia lex ecclesiastica non obligat cum tanto rigore. Dixi, *nec licite*: quia etsi excommunicatus sciat, se esse talem, et extra necessitatem illicite sacramenta suscipiat, valide tamen ea percipit; virtus enim Sacramenti dependens ab institutione Christi a jure ecclesiastico impediri nequit. *Excipe* sacramentum poenitentiae, quod saltem indirecte scilicet propter indispositionem poenitentis, redditur invalidum. Ita *Laym.* L. 1. t. 5. p. 2. c. 2. n. 1. ubi addit: si tamen ponamus, excommunicatum bona fide confiteri, v. g. in casu probabilis ignorantiae, aut necessitatis, tunc nihil obstat, quo minus valide absolvatur a peccatis, remanente censura, si ea vel superiori reservata sit, vel si confessarius absolventi potestate praeditus per oblivionem aut inscitiam a peccatis prius, quam a censura absolvat.

1415. *Secundus* effectus est *privatio suffragiorum Ecclesiae*, scilicet sacrificio, publicis precibus, indulgentiis, et aliis actionibus sacris, quae nomine Ecclesiae fiunt.

1416. *Tertius* effectus est *privatio divinatorum officiorum*; excommunicato enim prohibitum est celebrare divina officia, iisque interesse. Quamvis enim liceat illi interesse concioni, quae juxta *c. Responso*, de sentent. excomm. non comprehenditur sub divino officio; item quamvis excommunicatus Beneficiatus, vel in Sacris constitutus debeat privatim recitare horas; eas tamen illi non licet cantare cum aliis in choro, nec recitare privatim cum alio, ut affirmat *Tournely*, nec interesse officii, quae publice fiunt, v. g. processionibus, solemnibus benedictionibus candelarum, olei, consecrationi templi etc. Praeterea si Diaconus vel Sacerdos excommunicatus privatim recitet horas canonicas, omittere debet *Dominus vobiscum*, quia haec verba significant sacram personae publicae communicationem cum populo fidei, quae tamen ei interdicta est; hinc loco eorum debet dicere: *Domine exaudi orationem meam*. *Laym.* tamen l. c. n. 6. censet, hanc obligationem non esse sub mortali, si privatim recitetur officium, sed sub veniali, quia materia gravis non est. Addit etiam *Tournely*, quod Casuistae, qui docent irregularem fieri excommunicatum, si dicat *Dominus vobiscum*, intelligendi sint de cantante in choro, non vero de privatim recitante. De communicatione in sacris cum infidelibus et HH. vide P. I. n. 372. et seq.

1417. *Quartus* effectus est *inhabilitas ad beneficia*, et dignitates ecclesiasticas acquirendas et possidendas, praeter Papalem. Hinc juxta *c. Postulastis*, de Clerico excomm., praesentatio vel electio excommunicati, item illius institutio, ac confirmatio ipso jure irrita est, etiamsi praesentatus, electus, confirmatus non sit excommunicatus denuntiatus, sed toleratus, imo etsi suam excommunicationem ignoret, quia licet ignorantia obligationis excuset a culpa, et poena; ignorantia tamen contracti impedimenti, sive inhabilitatis aliquem habilem reddere non potest. *Laym.* cum communi l. c. n. 7. ubi addit: Caeterum, qui bona fide beneficium accepit, eique deservivit, licet postea, cognito impedimento, illud teneatur derelinquere; fructus tamen suae congruae sustentationi debitos,

vel quos bona fide absumpsit, neque inde ditior factus est, restituere non tenetur.

1418. *Quintus* effectus est *privatio jurisdictionis*, ita ut excommunicatus *non toleratus* non tantum illicite, et cum gravi peccato, sed etiam invalide exerceat quemcumque actum jurisdictionis spiritualis et ecclesiasticae; *c. ad probandum*, de sententia et re judicata; *c. romana*, de offic. Vic. in 6.; *c. decernimus*, de sentent. excomm.; ideoque non toleratus non tantum prohibitus est exercere jurisdictionem, sed ipsa jurisdictione privatus existit. *Toleratus* autem illicite quidem exercet jurisdictionem, non tamen invalide, quia talis ob errorem communem adhuc retinet titulum coloratum, qui non aufertur defectu occulto, ut Communis arguit ex l. *Barbarius*, ff. de Offic. Praetorum, quo casu valorem actuum exigit bonum publicum: quanta enim incommoda oriri necesse esset, si acta eorum, qui ab Ecclesia publice tolerantur, tamquam irrita rescindi deberent?

1419. *Sextus* effectus est *irritatio Rescriptorum Apostolicorum*, h. e. Rescriptum Sedis Apostolicae continens gratiam, et concessionem pro tali excommunicato, ipso jure irritum est, juxta *c. ipso jure*. 1. de rescript. in 6. Hodie tamen raro locum habet hic effectus, cum fere semper in Rescriptis Apostolicis contineatur expresse absolutio a censuris.

1420. *Septimus* effectus est *privatio communicationis forensis*, scilicet excommunicatus denuntiatus nequit esse Judex, Advocatus, Actor, Testis etiam in civilibus causis. De iudice constat ex *c. ad probandum*, de sentent. et re judic. De caeteris ex *c. decernimus*, de sentent. excomm. Toleratum autem iudex potest repellere, praesertim si nota sit excommunicatio, aut pars adversa contra illum excipiat; si vero nota non sit, pars adversa debet illam aperte intra octo dies demonstrare; juxta *c. 1. de except. n. 6.*

1421. *Octavus* effectus est *privatio omnis civilis, seu politicae communicationis cum fidelibus*, ita ut nec ipse excommunicatus denuntiatus et non toleratus cum aliis, nec alii cum ipso communicare possint in casibus, et actionibus sequenti versu comprehensis: *Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur*. Per *Os* intellige, prohibita esse colloquia, oscula, amicitias, munera, litteras cum excommunicato; per *Orare* intellige, prohiberi excommunicatum interesse publicis orationibus, ut dictum est, alios vero prohiberi fundere pro ipso orationem, nisi in ordine ad ipsius conversionem. *Vale*, h. e. nequidem honorifica salutatio excommunicato non tolerato exhibenda est. *Communio*, interdicatur omnis societas civilis, commercium in contractibus ineundis, v. g. venditionis, emptionis etc. *Mensa* h. e. non licet cum excommunicato cibum sumere, cohabitare in eodem hospitio, nisi forte necessitas coegerit, ut si in itinere non nisi unicum hospitium sit. Vide *c. Cum excommunicato*, *c. Ad mensam*, *c. Excommunicatos* XI. q. 3. Ideoque peccat mortaliter agendo contra grave praeceptum Ecclesiae et incurrit excommunicationem minorem, qui scienter communicat per actiones praedictas cum excommunicato non tolerato; facilius tamen peccatur agendo cum excommunicato in rebus divinis, quam in rebus civilibus, nisi forte adsit contemptus disciplinae ecclesiasticae, aut communicatio sit nimis frequens. Communicans autem cum excommunicato in *crimine criminoso*, h. e. cooperans culpae vel contumaciae, ob quam lata est excommunicatio, v. g. praebendo auxilium, consilium, favorem, semper peccat graviter, et juxta *c. 29. et 55. de sent. excom.* eandem incurrit excommunicationem majorem.

1422. Excusant tamen a peccato et excommunicatione minore com-